

470710
20.

APHORISMI
DE STATV ECCLESIAE
RESTAVRANDO

Ex Decreto & Adprobatione Collegij
Cardinalitij.

Collecti ex Consilio

GREGORIO XV.
PONTIFICI MAXIMO

Exhibito

PER MICHAELEM LONIGVM

*Sacro Vaticani Palatio, & Scripturarum monumentis digerendis,
tam in Archiuo ipsius Vaticani, quam in Castro S. An-
geli existentibus, olim Praefectum.*

ANTIQVITAS ECCLESIAE, PEPERIT IMPERIO RO-
MANO PRAEIVDICIA, QVAE IN VALOREM VNDE
NULLI SINE TVRBATIONE ECCLESIAE AB ILLA
RECEDERE LICET.



A. E. S.

Coll. diss. A
193, 29

Ad Exemplar Arcenense recusum,
M. DC. XXIII.

Sly. A. 193(29)

16

Sächs.
Landes-
Bibl.

477H

I. **C**um Boiorum Dux à Beatissima Sede Apostolica Confirmationem in solemniforma propter Electoratum exposulauerit: ideo Ecclesia Obedientiam amissam, ex negato brachio seculari, paulatim recuperare potest.

II. **C**um **PONTIFEX MAXIMVS**, per Boiorum Ducem Maximilianum, vt filium Ecclesiae obedientissimum, iura, à Ducentis vsque annis, & vltra, in Constituendis rebus, & ordinibus Imperij amissa, recuperare possit; ideo possessiones bonorum Ecclesiasticorum ex manibus Hæreticorum rursus eripere, non difficultatis erit.

III. **C**um Boiorum Dux, ex speciali iuramento Ecclesiae præstito, in eo feruore sit, Ecclesiae faciem ita adornare, vt ante **GREGORII XI.** tempora fuit; ideo Hæretici brachium seculare Ecclesiae restituere coguntur.

IV. **C**um Hæretici Brachium seculare, Ecclesiae vt fontale origini, cedere coacti; tunc Hæreses ad Infernum declinare, possibilitatis erit.

V. **C**um de statu, & ordine Imperij cognoscere & decernere, Ecclesiae proprius partus sit; ideo Hæretici, qui hanc antiquitatem, & iura Ecclesiae negant, in statu & ordine Imperii, iam per Boiorum Ducem restaurando, in posterum tolerari non possunt.

VI. **C**um **LEO III.** illam potestatem habuit, propter Hæreseos crimen Orientale Imperium ab Occidentali, diuellere, ac ex Græcorum manibus eripere, & ad Gallos transmittere: quare non Pontifex Maximus eandem potestatem habebit, Electoratum à Palatino vt principali Hæresiarcha abripere, & in Boiorum Ducem, vt obedientissimum filium Ecclesiae, transferre.

VII. **C**um diuulsio Orientalis Imperij ab Occidentali à **LEONE TERTIO PONTIFICE**, facta, ita firma, & sancta ad hæc tempora vsque permanerit, licet Occidentale Imperium possessore sæpius vacauerit, tamen nunquam Orientis Imperio adnexum fuit, neque vnus leges in alterius Prouinciis viguere; quare non diuulsio Electoralis Dignitatis à Palatino Hæresiarcha, in Boiorum Ducem Catholicissimum transmissa, in eadem constantia, & firmitatis Sanctitate à Pontice summo & S. Liga tueri debeat.

VIII. **C**um Imperij Translatio à Græcis ad Gallos tam libero Brachio per **LEONEM PONTIFICEM** facta fuerit, vt ijdem ipsi Græci Imperatores, quanquam Potentissimi; nunquam tamen sibi audendum existimarunt, illam impugnare, sed potius expresse probarunt, & ratam habuerunt: ita Electoralis dignitatis in Boiorum Ducem Catholicis-

A 2 simum

simum transmissionem, alter Hæresiarcha Saxo, impedire, multo minus impugnare non licet; quia iuribus, & priuilegiis Imperii, vt Hæreticus Sanctitatem & Antiquitatem fontalis Originis Imperii non agnoscens, de iure frui non potest.

IX. Post LEONEM alii quoq; Pontifices, sola sedis authoritate, illud idem Imperium Occidentale, sepe ab vna ad aliam transtulerunt nationem: quare non eadem sedis authoritate Pontifex Maximus Electorales dignitates ex manibus Hæreticorum eripere, & ad Catholicos Principes transmittere potest, vt facies Imperii Romani rursus Sancta, in Hæreticis extirpandis, formetur.

X. Cum FEDERICVS PRIMVS ALEXANDRI TERTII Sententia de Imperio deiectus, ibi Emanuel Comnenus Pontifici pecuniam, & milites aduersus FEDERICVM obtulit, vt Latinæ Græca Ecclesia adiungi possit, tunc ex eo indubiè confessus est, Sectionem & Translationem Pontificiam stabilire, & firmamento redundare, atq; alterum Imperium alteri vnire, vetitum cuilibet fuisse, præterquam Summo Pontifici, qui prius illa interfecerat.

XI. Cum iure Bonifacius Octauus Pontifex, vt cui suprema authoritas vni Ecclesiæ competit, Albertum Primum Romanorum Regem, nõ iure hæreditario, quemadmodum sibi, & successoribus suis cõferre petiit, sed tãtum electione ad munus Imperii perueniri voluit. Sic eodem iure Beatissimus Pater, cum Hæreticis procedere potest.

XII. PHILIPPVS FRANCORVM REX Legatos Auenionem ad Clementem Pontificem Quintum destinauit, quo supplices ab ipso exorarent, vt Imperium Gallorum genti, in qua prius constiterat, restitueret; tunc Põtifex Maximus ad Electores Legatos suos misit, per quos eis imperauit, vt Henricum à Lucenburgh Imperatorem crearēt, secus si facerent, in discrimen adductum iri, ne Imperiũ & ius Electionis ab ipsis ad alios perpetuo deuolueretur: Ipsi autem statim conuētū facto, Henricum elegerunt, ex quibus omnibus perspicuum adparet, Gallis certũ fuisse, in manu esse Pontificis, redintegrare in eorum Regno Maiestatem Imperatoriam, & à Germanis Imperium, ac ius electionis rursus auocare. Ideò pro plenitudine potestatis Pontifex Maximus vltèrius conuere non potest, quod Hæresiarchæ illi Saxo & Brandenburgicus, auctoritatem in transferendo electoratu, à sede Romana diuellere, & ad Collegium electorum pertrahere tentant.

XIII. In manu Põtificis Maximi est, vt ex omnibus Historiis adparet, Maiestatem Imperatoriam in eorum Regno redintegrare, Imperium
de

47474

de Gente in Gentem transferre, ac ius elictionis in totum auocare Caueat itaq; Pontifex Maximus, ne ex tali conuentione restantes Hæresiar-
chæ Saxo & Brandenburgicus, faciem Imperii Romani, in horrendum
monstrum transforment.

XIV. Cum Vincislauus ob eius inertiam ab Electoribus de Imperii se-
de deturbatus fuit, & è contra Robertum Reni Comitem Palatinum,
Pontificis Bonifacii Noni mandato & iussu, ad tanti gradus apicé pro-
mouerunt. Ita similiter Palatinus Hæresiarcha Principalis propter cri-
men læsæ Maiestatis & Pacis Publicæ Imperatorem, & Imperium com-
missum de electoratus sede deturbatus: Et è contra pro antiquitate re-
cuperanda, Electores Imperii Sancti & veri, mandato & iussu Pontifi-
cis Maximi, Boiorum Ducem Maximilianum ad Electoralis gradus a-
picem, summo iure promouerunt.

XV. Si Apostolicæ sedis auctoritate, potestas eligendi Imperatorem
& Electorem numero septem tantum Principum Coarctari potuit, ubi
tamen antea ex Gregorii Quinti concessione, cunctis Germaniæ Prin-
cipibus competeret; sic ex eadem plenitudine potestatis Pontifex Ele-
ctoralem dignitatem à Palatino & Heredibus suis abscindere, & in Bo-
iorum Ducem transferre potest.

XVI. PLENITUDO BEATISSIMÆ SEDIS APOSTOLICÆ
demonstratur ex publicis documentis Electionum Rudolphi Auspur-
gensis, Adolphi, Henrici Septimi, Caroli Quarti, Vincislai & Roberti,
quæ nullam aliunde firmitatem habent, quam ab assensu & Verbo Ni-
colai Tertii, Bonifacii Octauo Clemētis Quinti, Clementis Sexti, Gre-
gorii Vndecimi, & Bonifacii Noni, Quæ publica documenta in Tabu-
lariis Sedis Apostolicæ custodiuntur.

XVII. Ut antiquitas Imperii magis elucescat, PONTIFICEM, & Ec-
clesiam videlicet, Potestatem tantum in causis Imperii cognoscen-
dis, decernendis, & disponendis habere: Ideo Imperator à Pontifice
summo ob illud supremum munus sibi insitum Diademate decoratur,
& huius operationis exercitatione in Imperatorio folio Confirmatur:
Propterea Doctores omnes in illam eunt sententiam, ut qui à Ponti-
fice Coronatus, Imperatoris & Augusti nomine gaudere, signum in
aurea Bulla imprimere, Imperii administrationem exercere potest:
Principi autem à Pontifice non coronato, illis uti, iure interdictum est.
Vnde Henricus Primus, Conradus Sueuus, Rudolphus, Adol-
phus, Albertus, Robertus & alii, qui de Pontificis manu non

sunt Coronam adepti, sibi nunquam in priuilegiis irrogandis, nomen Imperatoris, sed Regis Romanorum tantum vendicauerunt.

XVIII. Cum inter Carolum Caluum Francorum Regem, & Ludouicum fratrem, ingens super Imperio controuersia agitaretur, tunc Carolus Romam protinus iter maturauit, & precibus & muneribus Coronam impetrauit, propterea ex facie antiquitatis Pontifex tantum de causis Imperij cognoscere potest, male ergo Hæresiarchæ Germani, Collegio Electorum debere Contendunt.

XIX. Cum Federicus Primus per Episcopum Bambergensem petierit Coronam Imperij ab Hadriano Quarto Pontifice, ubi verba inferius posita, in similem sensum fuerunt sigillatim adhibita, quib. haud obscure patefit, eum qui coronam è manu Pontificis non obtinet, reuera non esse Imperatorem. Ergo Beatissime Pater, te circa eum peragas, ut quæ Boiorum Duci Maximiliano desunt, de plenitudine Imperialis culminis, per tuæ Beatitudinis munificentiam suppleantur, ut Imperium ad pristinam antiquitatem redigi possit.

XX. Cum auctoritas statuendi de rebus Imperij Pontifici Maximo propria eousque prouehatur, ut ipsa interdum Imperatores, & Electores exagitauerit, depresserit, & penitus eluserit, de quibus Historiæ copiosè loquuntur: nam quid olim gestum fuerit inter Gregorium Septimum & Henricum Quartum, inter Alexandrum Tertium, & Ottonem Quartum, inter Innocentium Quartum & Federicum, inter Iohannem vigesimum secundum & Ludouicum Quartum, inter Bonifacium Nonum & Vincislaum. Ita eadem sede auctoritatis, de rebus Imperij cognoscere & decernere, Pontifici soli, non Collegio Electorum, adhuc omni iure debere, indubitati iuris est.

XXI. Cum facultas Imperatoris eligendi, non auro à Principibus Electoribus fuerit empta, non armis comparata, non iure accepta hæreditario, nec eadem ad ipsos ab Imperatorum manu, sed ab sedis Apostolicæ authoritate defluerit. Ideò Hæresiarchis Germanis æquum non est, secus in præsentia sentire, & ita antiquitatem & Sanctitatem Imperij turbare.

XXII. Cum diu viguit consuetudo eligendi Imperatorem ex constitutione Gregorij Quinti, interuentu Antistitum, & Principum Germaniæ omnium & cum post modum Scismata, & turbæ ex multiplici opinionum discrepantia inter eligendum oriri cepissent, quibus Imperium indies contabescat, tandem Antistites & Principes vnanimes decreto & adprobatione sedis Apostolicæ in eo conuenerunt, ut facultas

omnis

omnis ad se ipsos vniuersos à Gregorio Quinto deuoluta, ad sex Prin-
cipes tantum deuolueretur, tres Ecclesiasticos, tres Seculares, quibus
postea septimus additus fuit: Et hoc solēmniter decreuerunt, vt ab his
tantum, nullo præterea admissio in posterum Imperatorem esse eligen-
dum, eadem ceterum auctoritate, iure & facultate.

XXIII. Cum superioribus temporibus Electio ex facultate per
Gregorium XV. Concessa, procedebat, ita recentioribus eadem facul-
tate procedat, in septem viros Pontificis assensu translata, & sicut anti-
quitas Summi Pontifices vniuersis illis Præsulibus & Principibus Ger-
maniæ imperabant, vt Imperatorem eligerent, ita in præsentia cum
opus sit, Pontifici liceat septem viris imperare, quippe qui referunt
omninò illorum vniuersum conuentum. Quoniam vt septem viri eius-
dem facultatis & iuris auctoritate potiuntur, quorum olim vniuersus
Germaniæ conuentus, ita modò Pontifices eam penitus retinent au-
ctoritatem, quam conuentus illius vniuersus tempore obtinebant, lon-
go enim annorum curriculo, aut temporum diuturnitate Ecclesiæ vi-
gor non remittitur, neque Sedis Apostolicæ iura inueterascunt. Quan-
ta itaq; Doctorum apud Hæresiarchas Germanos imperitia, qui neque
antiquitatem, neque iura norunt, sed pro suo conceptu malitioso, anti-
quitatem falsam, & iura nullibi lecta neq; sancita sibi fingunt, atq; inde
antiquitatem, & Sanctitatem Imperij in Nouitatem, ordinem in Con-
fusionem detorquere non erubescunt.

XXIV. Cum autem, vt prolixè Sanctitati vestræ, demonstraui, Ele-
ctores æquè recentiores, ac veteres facultatem eligendi Imperatores
non aliundè hausisse, quam à supremo Sedis Apostolicæ fonte, quod
confirmari potest, grauissimorum auctorum fide, Iacobi VVimpfelin-
gi, Krantij, Naucleri, Carionis, Auentini, Cuspidiani, & aliorum Tran-
salpinorum, vt Italos omittam, qui super hac controuersia ob corrupte-
læ suspicionem ab Hæreticis Germanis forsitan reijci possent,

XXV. Cum illi ipsi septem viros publicis scripturarum argumentis,
eorum manu, & signo firmatarum, inficias non eunt, facultatem hanc,
in Imperatore eligendo, ad ipsos ab Sede Apostolica profectam esse, cui
rei si fidem imperiti Saxonis, & Brandenburgici Consiliarij derogare
peterent, exhibenda eis forent documenta Scriptionum Anno 1279.
Pontifici Nicolao Tertio, Rege Romanorum Rudolpho Auspurgensi
exaratarum, quæ integra & solida in folio pergameno, in Archiuio Ca-
stri Sancti Angeli adseruantur: In quibus septem viros his verbis præci-
puè vtuntur: Complectens ab olim sibi Romana mater Ecclesia, quasi
qua-

quadam Germana charitate Germaniam illam, eo Terrenæ dignitatis munere decorauit, quod est supra omne nomen temporaliter tantum Præfidentis super terram, postulans in eo Principes tanquam arbores præcellentes & rigans illos gratia singulari, illud ei, dedit incrementum mundanæ potentia, vt ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, veluti Ger- men Electum, per ipsorum Electionem, illum, qui frena Romani tenet, Imper. germinarent.

XXVI. Cum Translatio Electoratus in presentem Saxoniam lineam, à Beatissima Sede Apostolica non Confirmata, ideo Põtifex Maximus, & Imperator ad rescindendam Translationem Electoratus in Boiariũ Ducem moueri non debent, sed ipsius exceptio pro non exceptione habetur, nam quod de iure non fit, & simpliciter non fit, æquiparantur.

XXVII. Cum Translatio Electoralis dignitatis in Boiorum Ducem Maximilianum facta, iam à Beatissimo Patre cõfirmata. Ideo penes Imperatorem, aut Regem Hispaniarum nõ amplius, Palatinum Hæresiar- cham, vel Hæredes Comitis Palatini, in Ditione, de qua Parens est de- iectus, vel in Electoratum reponere, nam hæ controuersia ad Beatissi- mam Sedem Apostolicam, non ad Imperatorem, vel Regem Hispania- rum pertinet.

XXVIII. Cum Translatione Electoratus Pontifex Summus Confir- mauit: Ideo Rex Angliæ, Daniæ, Saxo, & alii restitutionem Palatini in Ditiones & Electoratum inique postulant. Nam nihil aliud est hoc pe- tere, quam Sedem Apostolicam de iuribus Maieftatis suæ deturbare, & fontalem origenem contra antiquitatem & Sanctitatem Ecclesiæ & Imperii, Imperatori & Electoribus adiudicare.

XXIX. Vt facies Ecclesiæ in antiquitate & Sanctitate conseruetur; Propterea Illustrissimi Antistites Ecclesiæ vnanimiter intrarunt in hæc sententiam, quod sine præiudicio auctoritatis Beatissimæ Sedis Apo- stolicæ Confirmationem Boiorum Duci Maximiliano Concessam, Põ- tifex Maximus, reuocare non possit; sed Boiorum Ducem coniunctis viribus Ecclesiæ, in septemuirali Dignitate, tueri, iure Diuino simplici- ter tenentur.

F I N I S.

Coll. Min. 7 193, 29